



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

III. Valentinianus non tribuit eam auctoritatem Romanis Pontificibus, sed fovit. Antè, generalia decreta edebant. Vt Liberius in controversia de baptismo Arrianorum. Iustitia decreti nihil detrahit ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

vide lib. 1. c. 7.

primum illi suffragium delatum, (quod prærogativam suffragij dixeret veteres, cum de principibus Romanis loquerentur) non autem factum ut solus sibi jura illa vindiceret. Potiorem eum fuisse, non solum.

II. Tamen discedere non possum ab eo privilegio quod tributum fuisse Romanæ sedi veteres Imperatores agnoscunt; præcipue cum antiquæ regulæ Basilij & Iulij non adverteretur. Hilarius Episcopus Arelatensis metropolitana dignitate cognitione Leonis I. Summi Pontificis in Concilio Romano habita dejectus est anno CCCCXLV. Quam sententiam Valentiniani Imperatoris rescripto muniri, ut illius executio nulla cavillatione impediretur, Leo facile impetravit. Sed illius Constitutionis expendenda sunt verba, quæ Novatoribus hujus sæculi sanguinem suffundere possunt: *Cum igitur, inquit, sedis apostolicæ primatum B. Petri meritum, qui est princeps sacerdotalis coronæ, & Romanæ dignitas civitatis, sacræ etiam synodi firmavit auctoritas.* Ex eo scilicet primatu comparat argumentum, quo fulciantur ea quæ deinceps statuit de jure ferendarum legum, his verbis: *Verum ne levis saltem inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui religionis disciplina videatur, hoc perenni sanctione decernimus ne quid tam Episcopis Gallicanis quàm aliarum provinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis Papæ vrbis æternæ tentare: sed illis omnibusque pro lege sit quidquid sanxit vel sanxerit apostolicæ sedis auctoritas.* Hæc novella Valentiniani

III. Constitutio Codici Theodosiano adjuncta est; cujus Codicis usus apud Gallos, Romanæ Legis nomine, in rebus ecclesiasticis invaluit. Id docent & canon primus Concilij Aurelianensis congregati anno DXXI. & canon XX. & XXI. Synodi Turonensis II. anno DLXVII. & Hincmarus Remensis Archiepiscopus. Imò etiam ex Clotarij Regis edicto, Romanis legibus Codice Theodosiano comprehensis, Romanorum, id est, Gallorum, qui à Francis non trahebant originem, contentiones dirimebantur. Vnde illustrari debet insignis Agathie locus, qui ait Francos politia Romana ut plurimum uti, & *Legibus iisdem.* Itaque profiteri possumus Valentiniani Constitutionem per Gallias vim legis, etiam post deletum Imperium Romanum, consensu & edicto Regum obtinuisse.

III. Nolim tamen quod è Valentiniano protuli, eo sensu accipi, ac si tum primùm legis ferendæ auctoritas sedi apostolicæ à Principe collata esset, cum tantùm eo rescripto fota sit & confirmata. Etenim ante

hujus Constitutionis promulgationem, decreta quædam generalia à Romanis Pontificibus edebantur, quæ missa per provincias, disciplinæ ecclesiasticæ ordinem ubique sancirent. Quæ à Liberio profecta sunt, ejus sunt generis, ut dignitate primum locum sibi facile vindicent. Trecentis è toto Occidente, per literas Constantij Principis, evocatis Ariminum Italia urbem Episcopis, & dolo aut minis eò additis ut *Consubstantialis* vocem è formula fidei Nicææ edita delerent, Liberius, qui Concilio Ariminensi non interfuerat, Concilij istius profanam sententiam, utpote fidei & Nicææ formulæ adversam, decretis suis infregit; hoc insuper addito, in quo à plurimis peccabatur, ne baptizati ab Arrianis ad denuo suscipiendum baptismum redigerentur; decretaque sua hac de re edita per provincias emisit, ut testatur Siricius Pontifex his verbis: *Quod non licet, (id est, Baptismum ab Arrianis collatum iterari) cum hoc fieri & Apostolus vetet, & Canones contradicant, & post cassatum Ariminense Concilium, missa ad provincias à venerande memoriæ predecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant.* Damnatio à Liberio de Synodi Romanæ sententia in Concilium Ariminense prolata, omnes Occidentis Episcopos, qui se Arrianos esse mirabantur, ut loquar cum Hieronymo, eò adegit, ut per provincias frequentibus synodis habitis, quam in Generali Concilio perfidiam amplexi erant, saniori mente damnarent, & Liberij communioni, à qua exciderant, hoc pacto restituerentur. Hoc testatur Orientalibus Episcopis ipse Liberius: *Omnes illi ferè Episcopi, qui Arimini convenerant, quique vel fallacibus inescati illecebris, vel vi compulsi, à fide tum quidem desciverant, nunc tamen ad sanam mentem reversi, fidei formulæ ab Episcopis Arimini convocatis editæ anathema denuntiarunt, & fidei catholice & apostolicæ Nicææ confirmatæ subscripserunt, & nobiscum jam unâ communicant.* Quod autem sincera fides & Canonum disciplina his decretis confirmatur, eorum quidem justitiam commendat, nihil autem de auctoritate Pontificis detrahit: quæ in eo viget, quòd Decreta illa generalia sint, & per provincias mittantur, ad exemplum edictorum & principalium constitutionum, nec circumscripta sint sinibus Romanæ Dioceseos, ut ceterorum Patriarcharum Decreta, quæ suis cujusque Diocesis continentur.

IV. Qui secuti sunt Liberium Pontifices, Constitutis generalibus, fidei & disciplinæ caverunt, ante Valentiniani Imperium. Siricius (cujus tempus confertur

Can. 1. Conc. Aurel. De homicidiis, adulterio, & similibus. si ad Ecclesiam confugerint, id observandum de certis quibusdam ecclesiasticis canonibus decreverunt, & lex Romana constituit. c. xx. Syn. Tur. Quia etiam Lex Romana constituit. c. xxi. Sæcra futurum legum. Edictum Clotarij anno 560. Inter Romanæ legibus cautelarum Romanæ legibus præcipuum terminari. Agathias Histor. l. 1.

Siricius in Decretis c. 1.

Liberius ep. ad Orientales.

Conc. cap. 1. c. 1. c. 1. c. 1. c. 1. c. 1.

Liberius